



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De excommunicationibus Bullæ Cœna Domini. 1. contra hæreticos cap.
18. & 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

nec peccant saltem mortaliter , si
aliis tantum ministret sine mortali.
Priuat etiam eadē excommunicatio
beneficii ecclesiast. passiuā elec-
tione, & qui eligitur sciens, mor-
taliter peccat , & talis electio licet
valida, est per iudicis sententiam
annullanda. Hæc excommunicatio
contrahitur cōmunicando, cū
nominatim excōmunicato & pu-
blico clerici percussore. Qui hac
ligatur, potest à quolibet sacerdote
absolui , inquit Toletus , faculta-
tem habente à mortali absoluendī , &
etiam à non approbato , si
pœnitens mortali culpa careat.

De excommunicationibus Bullæ

*Cœnæ Domini. Prima
contra hæreticos.*

Cap. 18. 19.

BVlla hæc illa est , quæ Sixtus
v. anno 1586. publicari man-
dauit. Continet quasdam spe-
ciales excommunicationes , quæ

Summo Pont. referuantur, & rato aliis conceditur ab eis absoluendi facultas. Solent huiusmodi excommunicationes interdum vocari processus, & his antiquiores nempe Greg. XI. qui sedebat anno 1370. reperiuntur in Bibliotheca vaticana. Sunt quidem ab homine, sed habent vim iuris, quia generaliter fulminantur, unde etiam mortuo Papa efficaciam habent, & Sede vacante ligant, sicuti Pius Quintus optimè sanxit.

* Prima excommunicatio contra hæreticos fertur & ligat unde cim personarum genera. Hæreticos omnes, eorum credentes, receptores, autores, defensores, libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine licentia Sedis Apost. legentes, eosdem libros reunentes, imprimentes, quomodolibet publicè, vel occultè, aut quouis prætextu defendantes, schismaticos, & eos

Compendium

qui à Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter deficiunt, aut ab illa recedunt. Hæretici dicuntur, qui aliquem errorem habent contra fidem cum pertinacia, cum qua etiam dubius in fide, & in iis, quæ fidei sunt, dicitur infidelis & hæreticus c. i. de hæresi. Non ligat hæreticos mentales, sed eos, qui nutu, signo, vel facto aliquo hæresim exterius manifestarunt. Nec defensores, & receptatores illos, qui hæreticos, solum ut consanguineos, aut affines, vel amicos, aut homines ex pie, tate, seu amore, recipiunt. Neque illos, qui à pontificis obedientia recedunt, quatenus est princeps temporalis, sed illos, qui ab eo recedunt tanquam Christi Vicario.